

1526 occidioneque redundantibus praeliis antetulerint. Nam Meleniano cum exercitu Mediolanum profectus, nunquam eo fuit animo, ut amplissimam urbem, lateque patentem vel obsidione ad deditionem compelleret, vel vi oppugnando potiretur; cum praecipue sciret, octo Hispanorum peditum millia, praeter Germanos, equitatumque, in ea esse, qui veteri militiae robore cum nostris nuperrime collectis non essent conferendi; sed ut citra periculum, dum Helvetiorum adventum praestolatur, cognosceret, qui animus Caesareanorum, quos multis conflictari incommodis nuntii afferebant, esset, & an forte cum & arcem obsidere, & civitatem tueri, & populi motus compescere deberent, & circuitum urbis transilire nollent, suburbia ipse occupare, in iisque castrametari, Ducique obsesso opitulari posset. Hoc consilio cum a Meleniano profectus esset exercitus, & ad Paradisi caenobium castra ad portam Romanam habuisset, superiori nocte Carolus Borbonius cum pecuniae vi, ac octingentis Hispanorum peditibus urbem ingressus fuerat. Id licet sciret Imperator; attamen tormentis quati portam, ac suburbiorum moenia jubet. Eo hostes accurrunt, leviora praelia committuntur: illi editiori loco freti tormentorum vi, ingenti-que ferrearum glandium procella nostros disjiciunt, qui nulla ratione impetum vitare, neque obices interponere poterant. Quid faceret strenuus, ac prudens Imperator? sineretne coram pessumdari milites; inulta caede, sanguine, cadaveribus cuncta oppleri? aleamne fortunae extremam subiret, ac illius inconstantiae universas copias, peditatum, equitatum objiceret? Hispanos, Germanosque milites Borbonii adventu confirmatos, & erectos nil necessitate, quae plerumque etiam a victoribus ad victos certaminis premia transfert, ad pugnam alliceret, ac horae momento certas foederis spes in discrimen adduceret? An non Helvetiorum auxilia, qui turmatim, relicta domo, ad hoc bellum descendunt, quotidie expectantur, quorum in adventu sive cum hoste congregiamur, sive cunctatione utamur, debellatum est? Quid Christianissimi Regis copiae equestres, pedestresve, quae nondum Alpes sunt transgressae? nonne junctis Pontificiis, Gallorum, Venetorumque copiis, victoriam incruentam, ac certam tenemus? Cur igitur exercitus vestri Dux, qui vel ab hoc ipso Senatu tuta consilia incertis eventibus prae-